DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MOTUUM CONVULSIVORUM VERA SEDE ET INDOLE,

QVAM

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORUM SENIORE ET H. T. DECANO,

PRO GRADU DOCTORALI

LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDO

AD D. OCTOBR. M DCC XXXIII.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SVBMITTIT

IOANNES FRANCISCUS BOOKE,

MONASTERIO-WESTPHALUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MOTUUM CONVULSIVORUM VERA SEDE ET INDOLE.

§. I.

SI ullum morbi eſt genus, quod immani ferocitate, ac horrendis viſu ſymptomatibus mortales excruciat, certe motus ſunt convulſivi. Hi cum totis fere inhæreſcant corporibus, & mox caput, mox pectus, mox abdomen, mox externos artus moleſtiſſime detorquendo, mira volubilitate totam pervagentur machinam: nomen affectus ſpaſmodici vagi, quem vulgo die Grübel-Kranckheit, die Krampf-Sucht dicunt, omni iure tuentur: nec incondite *à Timæo à Guldenklee epiſt. IX. L. I.* epilepſia mira nuncupantur. Re autem *Definitio realis motuum convulſivorum.* vera atrox hoc malum nihil eſt, niſi præternaturalis, violenta, invita, plus minus vaga primum artuum ex-

ternorum & trunci noſtri corporis, dein per conſenſum capitis eiusque partium contractio ac agitatio, quæ ex ſtrictura membranarum medullam ſpinalem cingentium non ſolum in omnes fibroſas, nerveas ac membranaceas ex ipſa medulla ſpinali productas partes diffuſa; verum etiam in ipſas membranas cerebrum inveſtientes, aliasque capitis nervoſas partes propagata, natales ſuos mutuatur.

§. II.

Differentia ab epilepſia 1) ratione cauſæ.

Hinc mox adparet inſignis differentia, quæ motus convulſivos & epilepſiam intercedit, & longe alia eſt, quam quidem hactenus à medicis quibusdam pronunciatum fuit. Hi materiales cauſas inſuper habentes, diſtinguunt epilepſiam in idiopathicam & ſymptomaticam: illam ſtricto epilepſiæ nomine denotant, hanc convulſionum & convulſivorum motuum termino, nullo reali fundamento ſuffulti exprimunt. Neque vero rejicimus hanc epilepſiæ diviſionem: at convulſivorum motuum tantam eſſe ab illa tam idiopathica, quam ſymptomatica diverſitatem, quantam habet cerebri ſitus à medulla ſpinali, ex mox dicendis patebit. Namque, ſicuti *Excell. D. Præſes diſſ. de vera mali epileptici cauſa* oſtendit, huius cauſa princeps in membranis cerebrum ambientibus reſidet: in convulſivis autem motibus eam potiſſimum in membranis ſpinalem medullam involventibus, & nervoſis partibus inde propullulantibus ſitam eſſe, inferius paullo clarius demonſtrabimus.

§. III.

2) ratione ſymptomatum.

Deinde vero, quod ſi utriusque affectus ſigna atque

que ſymptomata diſpiciamus; eorum quidem multa & plurima ob arctiſſimum, quo dictæ cerebri, medullæque ſpinalis membranæ gaudent, conſenſum, inter ſe convenire ac fere eadem eſſe animadvertemus: neque tamen minus quædam ſingulæ affectioni veluti propria & earum differentiam eſſentialem conſtituentia deprehendemus. Hac nimirum ratione in vera epilepſia præcedit æque ac comitatur quædam triſtitia; ſub ipſa acceſſione obſervantur mentis alienatio, ſenſuum tam internorum, quam externorum defectio, adeo ut ſi vel acu pungantur, nihil ſentiant, nec odore forti, nec violento clamore excitari poſſint; ſpuma oris, pollicum in manus compreſſio, oculorum diſtorſio, facies rubicunda ac livida; & denique, ſi malum ceſſaverit, omnium geſtorum ignorantia. Sed hæc fere à convulſivis motibus aliena videntur: nam nec mentis error incidit, nec os ſpumam reddit, nec pollices in pugnum colliguntur: quæ ſi contigerint, hos cum epilepſia eſſe complicatos indicant. Contra vero accurata & attenta docebit experientia, & ratio inferius alleganda confirmabit, convulſivis motibus magis proprium eſſe, peregrinas linguas & artes, quas nunquam didicerunt, loqui, atque mirum dictu! futura prænunciare: adeo ut veteres hos morbos pro dæmoniacis habuerint omnino atque deſcripſerint; quemadmodum *in Foreſto Lib. X. obſ. LVI. Schol. pag. 486. videre licet.*

§. IV.

Differentia à Spaſmo fixo.

Non minus eximia eſt inter ſpaſmum fixum atque vagum, ſeu convulſivum motum differentia: ille enim cer-

certam regionem nerveam ac membranaceam occupat, eamque pertinacius adfligit; hic vero incerta ſede per univerſum corpus errat, & ex una parte nervoſa ſenſibili ad alteram tranſit, eam doloribus, contractionibus, diſtentionibus, inflammatione, tumore, criſpatura mirifice exagitat, ejusque functiones vehementer lædit atque proſternit. Porro quædam animadverſio debetur epilepſiæ ac ſuffocationi uterinæ: quarum prior eandem cum vera epilepſia indolem, eademque ſymptomata, exceptis faucium ſuffocatione, & globi in abdomine volutati ſenſatione, huic propriis, obtinere videtur; poſterior magis convulſivis motibus interiora potiſſimum occupantibus haud diſſimilis exiſtit: namque hac correptæ præter ſuffocationes ac globi in imo ventre volutationes prævias immobiles rigidæque jacent, ut eas mortuas judicares, niſi graveolentia naribus admota, plumæ accenſæ &c. fraudem detegerent: hæ præterea eorum, quæ acta ſunt, firmam retinent memoriam, quæ fallit epilepſia uterina ſolicitatos.

§. V.

Sedes motuum convulſivorum. Miſſis autem differentiarum explicationibus, ſi ſedem atque objectum motuum convulſivorum intueamur: illam, quamvis hoc malum incertis per totum corpus vagetur ſedibus, tamen in illas potiſſimum collocare licebit partes, quæ nervoſæ, fibroſæ ac membranaceæ ſunt. Hæ enim ſunt ſolæ, in quas ſpaſmi atque convulſiones tyrannidem ſuam exercere valent: & cum aliis muſculoſis, glanduloſis, cartilagineis, osſeisque copioſiſſime intertextæ conſpiciantur, vel arctiſſimo

ctiſſimo cum ipſis vinculo gaudeant; illas quoque in ſæviſſimarum agitationum rapiunt ſocietatem. Tali nervoſa fabrica cum non ſolum externæ noſtri corporis partes, verum etiam interna viſcera fuerint potita: facile adparet, cur diræ iſtæ motitationes externa membra agitare æque ac ad interiora penetrare, in iisque ſontica mala atque ſymptomata machinari valeant ſoleantque. Quo vero ſenſibiliores, teneriores, majorique nervorum copia inſtructæ ſunt partes, quæ torquentur; eo acerbiores vi mechanicæ neceſſitatis inſequuntur dolores, eoque atrociora ſymptomata. Abſit ergo quam longiſſime, ut, ſi cerebrum, medullamque ſpinalem ſpaſmo trahi, atonia affici, in celeberrimorum virorum ſcriptis legimus, hosce morbos ipſi medullari pulpoſæque harum partium ſubſtantiæ cum quibusdam adſcribamus: cum tamen illos à ſolidis nerveisque dictas partes involventibus involucris omnino derivari volunt.

§. VI.

Sed tranſeamus ad morbi tradendam hiſtoriam; quæ adeo diffuſa, copioſa, varia atque intricata exiſtit, ut plerique medicorum ipſi diſtinctius recenſendæ ſuperſederint. Ipſum nimirum malum ad periodica referri meretur, quod non continenter inhæret, uti quidem *de epilepſia continenti, eaque lethali Acta Berol. Dec. II. Vol. VII. pag. 98. mentionem faciunt:* ſed per intervalla pro cauſſarum, aliarumque circumſtantiarum ratione modo breviora, modo longiora recidit; &, dictu horrendum, quotidie decies, vicies, quin & trigeſies infeſtat miſeros. *Conf. Excell. Præſ. med. conſult. Tom. V. Dec.*

Morbi hiſtoria & acceſſionum tempus.

Dec. II. caſ. III. pag. 104. Acceſſiones, quas format, ſæviſſimæ, violentiſſimæ, aſpectu horribiles modo longiores ſunt, modo breviores: mox enim vix aliquot temporis minuta durant; mox per horæ quadrantes, mox has integras, earumque duas vel tres inhærent. Ceterum morbus hic more ſpaſmodicis adfectibus ſolemni per certos temporum circuitus repetere ſolet; & lunæ mutationes ſtrictius obſervat, eamque naſcentem, creſcentem, plenam atque gibboſam inſequitur: quid? quod Illuſtri Dn. Præſidi nota ſint exempla, quod tales ægritudines certo anni tempore reverſæ per aliquot duntaxat menſes ſævierint, poſtea ex toto conquieverint. Maxime in ſequiori ſexu menſtruam excretionem, ceu fidiſſimus ſequi obſervatur hoc malum comes; eorumque vel antecedit eruptionem, vel fluxum comitatur. Nec denique ignorari oportet, ipſas acceſſiones ſumtis epulis in multis ſæviores longe, frequentioresque eſſe, quam ubi jejuno fuerint ſtomacho: nec opportunius quicquam iis excitandis inveniri, quam mentis graviores commotiones vel per iram, vel terrorem, vel etiam adverſarum rerum recenſionem introductas; maxime cum hisce morbis obnoxii quascunque res graviſſime ſoleant advertere.

§. VII.

Signa malum antecedentia. Variis modis hæc adfectio miſeros adoritur: quosdam enim ſubito absque ullis notis venturi mali præcedentibus prehendit; in aliis autem ſignis quibusdam ſui adventum prænunciat. Sed horum quoque inſignis occurrit varietas, adeo ut quot individua, tot peculiaria obviam fiant ſymptomata, quorum hæc po-

tiſſi-

tiſſima ſunt. Primum quidem artus inferiores, horumque extremæ partes, vel digiti pedum, vel integri pedes, vel crura ſimul perfrigeſcunt, ut calore foveri debeant; vel formicans ſenſus (ein Krübeln) digitos manuum pedumque occupat: tum in quibusdam imi ventris ſpaſmus & tormina excipiunt, tantaque alvi conſtipatio, ut nec fœces, nec flatus reddi poſſint, nec ſæpius tenuiſſima fiſtula anum intrare queat, aut etiam glandes ac enemeta vi ſpaſmorum ad ſuperiores partes pulſa cum ſtercore, fœdum dictu! per vomitum ejiciantur. Veſicam conſtrictio vehementiſſima detinet, ut vel albæ, tenues, crudæque mingantur, vel plane nullæ urinæ. Abhinc dolor ad ſuperiora magis vergit, infeſtat ventriculum, fit nauſea, ardor, cardialgia, quandoque vomitus; progreditur ad pectus, ſentiuntur præcordiorum anxietates, cordis palpitationes, fauces conſtringuntur, deglutitio impeditur, & ipſe ſæpius in externo collo tumor deprehenditur. Neque minus caput in conſenſum trahitur, dum dolore tenſivo, gravativo, vertigine, tinnitu aurium, dolore dentium &c. ſolicitatur; aut denique pruritus totius corporis, oſcitatio, pandiculatio, tremor, præcedunt. In aliis frigidula ſenſatio extremum pedem, vel digitos, vel os coccygis prehendit, & veluti aura per ſpinam dorſi aſcendit: in aliis non niſi quædam nauſea antecedit; & denique in aliis dolor ex aliqua corporis regione v.g. hypochondrio ſiniſtro ad ſuperiora aſpirat; atque inſpirandi anguſtiam, vertiginem, vomitum, ipſosque convulſivos terminatur motus. Et quis omnia recenſebit ſpecialiſſima? aggrediamur ipſum paroxyſmum.

§. VIII.

Paroxyſmorum deſcriptio.

Hujus equidem non minus innumera ſunt ſymptomata; quæ inter hæc deprehenduntur frequentiora. Externarum partium manuum pedumque convulſiva agitatio perquam variis horrendisque modis ſcenam ludit: mox enim omnes artus ſimul præter voluntatem vehementiſſime, violentiſſime, huc, illuc trahuntur, retrahuntur, diſtenduntur, criſpantur, jactantur, contorquentur, incurvantur; mox brachia alternatim adficiuntur, & in tergum retorquentur, ut iis infidere videantur ægri; mox inanibus ictibus auram verberant, nec tamen pollices in pugnum comprimuntur: mox & crura pedesque varie agitantur, vel ſimul torquentur, vel in varias plagas extenduntur; dextrum nempe crus antrorſum, ſiniſtrum retrorſum & vicisſim trahendo; vel pedibus validiſſime terram quatiunt, conculcantque. Occupat quoque convulſio externum corpus, quod vel antrorſum vel retrorſum violenter movetur; ſpina dorſi incurvatur, arcum format: vel contremiſcit vehementer; vel obrigeſcit ligni inſtar, & veluti catalepſi affectum immobile tenetur: haud raro ſenſatio formicarum, vel murium in partibus circumcurſantium accedit; abdomen intumeſcit, ac ſi folle inflaretur. Sæpius concidunt ſubito, flent, rident, mordent canum inſtar, vociferantur inſigniter; junguntur dolores ardentes, pungitivi, contractorii, lancinantes, diſtenſorii; mox ſermo impeditur, tollitur. Nec vero caput liberum manet; ipſum enim torquetur mirifice, in omnes plagas gyratur, ad pectus incurvatur, ad dorſum retrahitur, rigidum tenetur; ocu-

oculi violenter aperiuntur, huc vel illuc tenduntur, album circumrotatur; os hiat, lingua exſeritur; mox iterum clauditur, huc vel illuc torquetur: ſonitus edunt varios, boatus, alias animalium voces æmulantes, ut à dæmone obſeſſi videantur; dentes commordent fortiter; neque vero ſpumant. Pulſus eſt validiſſimus, maxime arteriarum circa dorſum ſitarum; pectus attollitur: & quod miraculo, portentoque videtur ſimillimum, haud raro vatidicorum aut furibundæ Pythiæ inſtar futura præſagiunt, peregrinas linguas ſtrepunt, & aliorum voces acutiſſimis auribus excipiunt. Qui horum ſymptomatum ampliorem, penitioremque cupit recenſionem, adeat celebrium Medicorum ſcripta; maxime *Excell. Præſ. Med. Conſult. & præcipue Tom. I. Dec. I. caſ. X. Dec. II. caſ. VIII. Tom. IV. Dec. V. caſ. I. Tom. V. Dec. II. caſ. III. De mira omnium membrorum circumgyratione vid. M. N. C. anno VI. obſ. 23. de admirandis motibus convulſivis Dec. I. anno 9. obſ. 64. Dec. II. anno 3. obſ. 77. anno 7. obſ. 135. Horſtius epiſt. pag. 356.* &c.

§. IX.

Poſtquam his, aliisque modis tyrannidem ſuam exercuit ferociſſimum malum: variis quoque innumerisque ſolvitur modis. Plurimi ineffabilem retinent totius corporis languorem, atque debilitatem: multi in animi deliquia, altumque delabuntur ſoporem: quibusdam ſtrangulationis ſenſus ſub paroxyſmo præſens per faucium, œſophagique tractum deorſum cedere videtur; tum inſequuntur ructus, flatus, lymphæ ex gula rejectio, quin & vomitus, hisque ſolvitur acceſſio. Et curioſa eſt obſervatio, quæ in ſæpius laudata

Paroxyſmi ſolutio.

data *Medic. Conſult. Tom. I. Dec. II. caſ. 8. p. 89.* habetur, quod hujus mali invaſio ſemper vehementi clamore, & manuum violenta ad pectus alliſione fuerit terminata. Haud raro truces articulorum muſculorumque dolores in tumores finiuntur: in quibusdam cutis veluti bile ſuffuſa flaveſcit; in aliis puſtulæ fœdæ ulceroſæ, vel veſiculæ magnæ aqua repletæ corpus obſident: ſæpius muci rejectio vel cruoris evacuatio per nares, hæmorrhoides, uterum &c. inſequitur. Ceterum in his ægris ſomnus eſſe ſolet turbulentus, terroris timorisque plenus, anxiis terrificisque inſomniis agitatus: appetitus inconſtans mox languet, mox eſt vehementior, a quo tamen ſequens acceſſio evadit atrocior, & moleſta circa hypochondria perſentitur gravitas. Alvus plerumque ſegnis exiſtit atque pigra; ægri ad ſudorem difficillimi ſunt; & mentis denique inſignis proclivitas ad omnes commotiones, maxime ad συμπάθειαν.

§. X.

Anatome his morbis peremtorum.

Vtut vero horrendum, terrorisque plenum hoc malum adpareat; neutiquam tamen adeo funeſtum obſervatur, ut quos corripuit, ſubito enecet: quicunque eo pereunt, accedentibus vel vera epilepſia, vel apoplexia abripiuntur. Tum enim in diſſectis cadaveribus in ipſo cerebro vel vaſorum à ſtagnante in iis ſanguine infarctus ac diſtenſio, vel cruoris aut ſeri hinc inde in ventriculis cerebri, vel medulla oblongata extravaſatio in conſpectum veniunt. Neque tamen minus varia adhuc notabilia poſt mortem in hocce morbo peremtis deprehenſa fuerunt; nimirum variæ inflamma-

flammationes in ventriculo, inteſtinis, hepate, liene, pulmonibus obſervatæ, veſicula fellis admodum turgida, & ipſa bilis ad aliquot cochlearia in ventriculum effuſa adparuit. Qui plura cognoſcere avet, adeat *Boneti Sepulchretum anatomicum, & opera de motibus convulſivis pag. 120.*

§. XI.

Dum adhuc in hiſtoria motuum convulſivorum occupati ſumus; haud ignorari oportet, hoc malum ſæpius obſervari gentilitium; quod non ſolum per hæreditatem ad liberos tranſit, verum etiam per longam generis ſeriem quaſi per manus poſteris traditur: unde illud certis familiis proprium ac familiare obſervavit Excellentiſſimus Præſes. Deinde vero attenta quoque docuit experientia, liberos qui à parentibus morbis hypochondriacis, hyſtericis, arthriticis, aut ipſi hæmorrhoidum fluori obnoxiis progeniti fuerunt, aut quorum mater graviditatis tempore ad animi commotiones, terrorem, meticuloſitatem, mœrorem, iracundiam valde proclivis fuit, hiſce ſpaſmodicis ac convulſivis motibus, veluti hæreditario jure acquiſitis mirifice agitari. Non minus etiam datur hic affectus ſpaſmodicus epidemicus, qui certo anni tempore certis locis atque regionibus populariter graſſatus plures infeſtavit. Hac ratione jungi ſolet febribus epidemice affligentibus: hinc *Horſtius in Oper. medic. Tom. II. L. VIII. pag. 105. refert hiſtoriam febris epidemicæ olim per Haſſiam graſſantis, cui graviſſimæ convulſiones junctæ fuerunt. Neque minus Sennertus deſcribit talem febrem epidemicam cum ſpaſmo ſtipatam, quæ annis 1596 & 1597 in epiſcopatu Colonienſi,*

Motus convulſivi ſæpe ſunt hæreditarii,

& epidemice graſſantur.

nienſi, Weſtphalia, comitatu Waldeck popularem edidit ſtragem, die Krübel-Kranckheit *vocata, de qua peculiare medicorum Marpurgenſium exſtat conſilium.* Hoc quoque nomine memorabilis eſt ille ſpaſmodicus morbus, qui ſuperioribus annis incolas Miſniæ, Marchiæ atque Luſatiæ corripuit, & miris ſævisque ſymptomatibus tragœdiam luſit. Prognatus ille fuit ex uſu lolii frumentacei, copioſiſſime in hisce terris producti; cui quoque ante allegata febris epidemica in acceptis ferenda eſſe videtur. Venit ille nomine der Krampfſucht, oder Krübel-Kranckheit, & non ſolum in *Act. Medic. Berol. dec. II. vol. VI. verum etiam à D. D. Buddeo, celeberrimo Budiſſæ medico atque Haberkornio peculiari tractatu* fuit deſcriptus.

§. XII.

Subjecta motuum convulſivorum.

Præ aliis autem hisce ſpaſmodicis morbis obnoxii deprehenduntur, quorum genus nervoſum, vel nativa, vel ex aliis cauſis acquiſita debilitate eſt præditum; eo magis ſi humorum vitalium impura acceſſerit temperies. Ex hoc fundamento hæreditarium conſtituunt malum; & magis familiares obſervantur utriusque ſexus pueris, & adoleſcentulis junioribus, quam qui ætate jam ſunt provectiores, certo teſtimonio, ipſos nervoſum ſyſtema habere valde imbecillum, & ad motus irregulares ſubeundos valde proclive. Ob eandem rationem fœminæ huic malo magis ſunt expoſitæ, quam viri: quid? quod generatim ipſi ſuſcipiendo, fovendoque longe aptiores ac opportuniores deprehenduntur temperamenti cholerici, ac ſtrictiori corporis habitu præditi homines, quam quidem ſanguinei,

guinei, phlegmatici, obeſi atque ſpongioſi. In illis quoque ſymptomata longe ſæviora ac atrociora obſervantur, quam in his, qui magis ſunt obnoxii morbis paralyticis, melancholicis, inſaniæ &c. Denique ipſa habitatio in locis udis, humidis atque ſub pluvioſo aëre multum ad hunc morbum diſponere valet; maxime omnium, ſi dictis cauſſis humorum dyſcraſia acceſſerit, quæ copioſam atque perpetuam nervos ſtimulandi & ad violentas ſtricturas proritandi ſuppeditat occaſionem.

§. XIII.

Sed miſſa motuum convulſivorum hiſtoria, pathologiam aggreſſuri, eorum cauſſam proximam ac formalem rationem in membranarum medullam ſpinalem cingentium & inde productarum partium nervoſarum valida ac violenta ſtrictura ponimus. Dum veró dictæ membranæ cum cerebri meningibus, cujus productiones ſunt, intima gaudent communione: mox liquet, quam facile cerebri capitisque partes in horum præternaturalium motuum rapiantur ſocietatem. Hinc non mirandum, convulſivos motus non ſolum iis ſæpenumero ſtipari ſymptomatibus, quæ nonniſi à strictura nervoſarum partium ex cerebro productarum explicari poſſunt; verum etiam in ipſam haud raro terminari epilepſiam. Priori ratione obvium malum recte ac præclare ab Excell. Præſ. in med. conſult. variis locis vocatur convulſivo-epilepticum. Neque tamen minus quæſtio incidit ſatis ardua; num poſſibile ſit, ut ſpaſmodica convulſione ſpinalis medullæ membranæ, cerebri meninges ab hiſce agitationibus maneant

Cauſſa proxima motuum convulſivorum.

ant

ant immunes, cum conſtet utrasque ſibimet eſſe continuas? At enim vero utique id eſſe poſſibile, non ſolum docet experientia, qua dantur convulſiones ab omnibus epilepſiæ ſymptomatibus deſtitutæ; verum etiam idem confirmat ratio, dum cognitum habemus, motum, quo magis atque diutius à ſuo principio diſtat, eo debiliorem fieri. Hinc ponamus initium ſtricturæ fieri in media ſpinalis medullæ regione; nonne hæc ad cerebrum delata fiet debilior? eo magis ſi maxima vis motus in eas potiſſimum diffundatur partes, quæ ex ſpinali medulla originem ducunt. Neque enim negandum ſemper eſt, ſub convulſivis motibus cerebri meninges ſæpius ſpaſmo agitari, ſed non tanto, quantus pro excitanda epilepſia ſufficit: unde etiam dolores capitis acerbiores, motus convulſivos concomitantes, ſæpenumero ſpaſmodicæ meningum diſtentioni natales ſuos debere arbitramur.

§. XIV.

Structura medullæ ſpinalis.

Veram autem allegatam hanc eſſe motuum convulſivorum cauſſam, exinde confirmatum habemus, quod omnibus eorum ſymptomatibus explicandis omnino ſufficiat. Quod ut eo clarius adpareat; haud ignorari oportet, medullam ſpinalem eſſe cerebro ſimilem, ex parte alba ſeu medullari & cinerea compoſitam cerebro continuam: *conf. Hippocr. L. de carnibus Sect. III. Galenus L. XII. de uſu partium Cap. XV. Veslingius anat. Cap. XIV. p. 224*) uno communi membranaceo involucro, quod ſpondylis vertebrarum adhæret, & tribus propriis membranis, intima ſecundaque à pia cerebri meninge productis, tertia ex dura matre propagata

gata inveſtitam & intra ſpecum vertebrarum reconditam. *Vieuſſens Neurograph. L. II. Cap. I.* Gaudet illa vaſis ſanguiferis arterioſis pariter atque venoſis per ipſam illius ſubſtantiam diſſeminatis. Recipit nimirum arterioſos ramos ex arteriis vertebralibus & trunco aortæ descendente: ex quibus refluus cruor per venulas primum in ſinus vertebrarum venoſos in venas vertebrales, venam ſine pari, aliasque venulas & tandem in venam cavam aſcendentem effunditur. *Vid. Vieuſſens Neurograph. Tab. XVIII. fig. I. II. III.* Denique ea potiſſimum hujus medullæ videtur eſſe functio, ut varios è ſinu ſuo nervos emittat; quorum triginta ſunt paria, & duo nervi ſpinales acceſſorii a Williſio dicti, qui ad par vagum tendunt. *Ibid. Tab. XIX. fig. II.* Hi ergo nervi primum ad muſculos cervicis, colli, pectoris, dorſi, abdominis, artuum ſuperiorum & inferiorum tendunt, harumque partium motui inſerviunt: deinde per interna pectoris ac abdominis viſcera diſtribuuntur, membranas in iis obvias conſtituunt, easque movent; & denique varios inſignesque ramos ad muſculos externos faciei capitisque dimittunt, & ad horum motum multum contribuunt.

§. XV.

Hæc generatim dicta ſufficiant: qui ſpecialiores nervorum iſtorum per dictas partes diſtributiones ſcire cupit, adeat *Vieuſſens Neurograph. Lib. III.* Ex allegatis autem cum morbi hiſtoria attenta meditatione comparatis quivis facile nexum omnium ſymptomatum motibus convulſivis propriorum invenire, eorumque rationem reddere poterit mechanicam: cui

 ex-

explicandæ nos ob arctos diſſertationis limites ſuperſedere debemus. Id duntaxat adhuc adnotabimus, quod irritatio dictarum partium convulſiva duplici potiſſimum contingere queat ratione: nimirum vel ipſæ medullæ ſpinalis membranæ primum irritantur, convelluntur, & in hanc convulſionum ſocietatem alias ſibi connexas partes abripiunt; vel harum partium quædam prius ſpaſmodice afficiuntur, & hanc diſtentionem ſpinali medullæ communicant; ex qua ad alias iterum defertur regiones. Hac ratione quid obſtat, quo minus prioris generis convulſiones idiopathicas, poſterioris ſymptomaticas appellemus.

Convulſivi motus ſunt vel idiopathici vel ſymptomatici.

§. XVI.

Quicquid ergo totum nervorum ſyſtema, maxime membranas medullæ ſpinalis tanta irritat, vellicatque vehementia, quanta ad producendas earum partium convulſivas agitationes ſufficit: illud nomine cauſarum remotarum vel occaſionalium venit. Has inter principem obtinent locum graviores animi affectus; quibus ad inducendos non minus, quam fovendos hos diros motus nihil eſt efficacius, maxime ſi externa refrigeratio & diætæ errores acceſſerint. Memorabilem *de dira convulſione ex ſubita animi conſternatione ob commiſſum antea ſtuprum excitata caſum allegat Henricus ab Heer obſ. XXIV:* & quid frequentius, quam homines præſertim iuniores ex gravi terrore ac iracundia vehementiſſime convelli? quarum obſervationum plures apud ſcriptores medicos paſſim inveniuntur. Eximia inprimis in hiſce morbis excitandis nimiæ libidini, veneriſque præmaturo aut immodico exercitio vis eſt: unde

Motus convulſivi excitantur ab animi affectibus.

unde quoque coitum parvam epilepſiam vocat *Ettmüllerus Tom. II. P. I. oper. med. pag. 193.*

§. XVII.

A ſcorbutica dyſcraſia humorum.

Deinde vero inter materiales hujus atrocis mali cauſſas recte collocanda eſſe videtur ſuccorum vitalium ſcorbutica dyſcraſia, à quacunque cauſa inducta. Hac enim dum imbuti ſunt humores, & per omnes corporis noſtri partes circulantur: non fieri poteſt, quin afflatu ſuo vaporoſo, nervoſo generi inimico, membranas nerveas inquinent, ſtimulent, vellicent, & ad violentas concuſſiones proritent. Quod ſi autem penitius rem intueamur; vero videtur ſimillimum, cauſſam illam, quæ in ſcorbutica humorum impuritate convulſivos excitat motus, non tam in ipſo acri humore quærendam, quam rectius halituoſo quodam vapori graveolenti, ſulphureo, narcoticoque cum maſſa ſanguinea oberranti, & membranoſis, nerveisque partibus firmius infixo adſcribendam eſſe. Sic enim & arthritis ſpaſmodica à noſtro morbo melius diſtingui poterit, prout iam egregie oſtendit *Johannes Drawitzius in tr. de Scorbuto Tit. II. de affectu ſcorbutico ſpasmodico pag. 72:* & ratio clarius adparebit, cur hi morbi adeo pertinaciter inhæreant.

§. XVIII.

Fuſius egerunt de hiſce convulſivis morbis ex ſcorbutica humorum diatheſi ortis *Salomon Alberti, Vierus de Scabie, Mœllenbrock de arthritide ſcorbutica* aliique. Hinc quoque experientia comprobatum habemus, atroces haſce generis nervoſi adflictiones propulſis ad habitum corporis puſtulis vel maculis purpuraceis,

 ſca-

ſcabioſis & ulceroſis notabiliter vel imminutas vel plane ſublatas fuiſſe. Neque minus haud raro fuit obſervatum, cauteria vel veſicatoria locis adfectis adplicata inſignem tuliſſe opem; certo utique argumento, materiam ſeroſam, lymphaticamque cauſticam, & quaſi virulentam volatilem, nervis impactam horum morborum frequentem conſtituere cauſſam. Hinc etiam eſt, quod puſtulæ ejusmodi ſcabioſæ & ulceroſæ ad interiora repulſæ frequentiſſime hosce morbos excitare ſoleant convulſivos. Quum vero porro dyſcraſiæ humorum inducendæ nihil magis faveat, quam ipſorum abundantia atque ſpiſſitudo; maxime ſi excretiones naturales per ſudorem, vel alvum, vel etiam ſanguineæ hæmorrhoidales ac uterinæ fuerint imminutæ aut ſuppreſſæ: facile patet, cur morbis hypochondriacis, hyſtericis, menſium ac hæmorrhoidum obſtructione ſolicitati hiſce convulſivis ſpaſmis præ aliis obſerventur obnoxii. Hinc quoque crebra obvium eſt experientia, quod virgines, quæ menſtruam nondum expertæ fuerunt excretionem, ſævis convulſivis ſpaſmodicisque tententur agitationibus: quæ orto menſium fluxu ſæpenumero decedere obſervantur.

Ex morbis cum humorum ſpiſſitudine complicatis.

§. XIX.

Quæ ſit cauſſa convulſionum epidemicarum.

Eidem fundamento nituntur convulſiones illæ vagæ, quæ haud ita pridem variis in locis epidemicam ediderunt ſtragem, & ſuperius §. XI. commemoratæ ſunt. Debuerunt enim illæ natales ſuos univerſali frumenti corruptioni; & inde etiam die Korn-Staupe vocatæ fuerunt. Succrevit nimirum ex peculiari tempeſtatis conſtitutione majori copia lolium frumentaceum,

ceum, fatuum vel temulentum, aut etiam zizanium ab auctoribus botanicis vocatum, nobis Mutter-Brand-Korn, tauber Rocken appellatum. Hoc enim fovet ſulphur quoddam narcoticum vaporoſum, ſtupefactivum: quo non ſolum antiquiſſimis temporibus cerebrum affici, & oculorum caligo induci perhibebatur: *vid. Plautus mil. glor. Act. 2. ſcen. 3. v. 80.* & hinc lolio victitaſſe myopes atque cœcutientes dicebantur; verum etiam vertiginem, temulentiam, vomitum, cardialgiam, ſoporem, delirium & ſpasmodicos affectus inde excitari jam adnotarunt *M. N. C. anno 3. Dec. II. obſ. 186. & dec. II. anno 8. obſ. 83. Conf. Buddei tr.* von der Krampfſucht, *& Acta Wratisl. tent. XXIII. menſe Januar. pag. 38.*

§. XX.

Quum autem hoc impuro frumento veſcantur homines; non fieri poteſt, quin ſucci eorum vitales vapore hoc ſulphureo narcotico imbuantur, illudque partibus etiam ſolidis, maxime nervoſis, membranaceisque altius inſinuent. Id eo magis confirmatur, ſi cum Celeberrimo *Buddeo L. citato pag. 24.* deprehendimus, homines, quibus curta ſupellex eſt, & hoc impuro victu veſci coguntur, longe frequentius graviusque diris hiſce tentari affectionibus, quam quidem opulentiores, qui lautis utuntur epulis. Namque talis ſordidus impurusque victus ſolus ſufficit generandis ſcorbuticis humoribus, & huic malo excitando: quare illius epidemica ſtrages illa ſequi tempora obſervatur, quibus inſignior eſt annonæ caritas; quemadmodum hancce cauſam convulſionum epidemicarum anno 1596.

Horum cauſa eſt etiam victus impurus.

per Haſſiam graſſantium fuiſſe aſſerit ſupra memoratus *Drawitzius lib. cit. Tit. II.* Neque denique ignorare oportet, hujus mali epidemicæ ſtragi originem præbere rubiginem, ſeu rores mellitos frumenta occupantes; maxime ſi pluvioſa ſimul inciderit tempeſtas, quæ ſuccos illos fere venenatos altius imprimit frumentis. Hoſce enim majus fere inferre damnum, quam ipſum lolium, adſtruere vult *Buddeus loc. cit. pag. 22.* hocque potius ſæpenumero absque ulla noxa aſſumi adfirmat.

§. XXI.

A ventriculi & inteſtinorum vellicationibus.

Sed ne nimis prolixi videamur, proſequemur etiam alias cauſſas huic arduo malo excitando opportunas. Non excludendus hic eſt aër humidus, frigidus, vappidusque; qui, accedente inprimis mala corporis diſpoſitione, ſi non excitando huic morbo, ſaltem ei ſuſtentando, augendoque inſigne confert momentum. Deinde vero ſi diſpiciamus eas nervoſas corporis partes, ex quibus convulſivæ ſtricturæ ad ſpinalis medullæ membranas propagari ſolent: has inter principem locum obtinet canalis membranaceus ventriculi & inteſtinorum, cujus vellicationes efficaciſſimam cauſſam univerſi generis nervoſi ſuppeditant diſtentionibus. Ipſæ enim has partes ob fabricam earum nerveo-membranaceam inſignem proclivitatem poſſident ad ſuſcipiendos irregulares motus; & à leviſſima cauſſa graviter adficiuntur. Porro qui conſiderat, ventriculum nervos ſuos primum ab octavi paris ramo externo tam dextro, quam ſiniſtro; dein etiam à nervis ex prima ſecundaque dorſi vertebra emergentibus, & in coſtalem ramum abeuntibus mutuari; vid. VESLINGII *anat. Cap. II. pag. 35.*

inte-

inteſtina autem ramos nerveos à ramo octavi paris interno, cum intercoſtali concurrente, & plexum meſentericum formante adipiſci: vid. *Idem Ibid. p. 43.* is inquam facile cognoſcet, qua ratione harum partium ſtricturæ ad univerſum nervorum genus propagentur.

§. XXII.

Hinc eſt, quod à probatiſſimis ſcriptoribus innumeræ obſervationes legantur proditæ, de vermibus in inteſtinis ſtabulantibus admirandas motuum convulſivorum ſpecies, maxime in pueris excitantibus. Talem notatu dignum allegat caſum GEORGIUS HORSTIUS *Epiſt. medicin. Sect. III. pag. 377.* neque minus conferri merentur *M. N. C. Dec. III. anno III. obſ. XCIX.* & FORESTUS *obſ. med. L. X. obſ. 117.* Si in cauſſas inquiramus, eæ non ſolum in roſionibus ac vellicationibus inteſtinorum à vermibus productas, quæ quidem in infantibus locum obtinent, conſiſtunt: verum, ubi in adultioribus contingunt, magis mortuis in inteſtinis vermibus accenſendæ ſunt; quæ putredinoſum vaporem emittunt, ac nervoſo generi inſinuant. Deinde quoque ſola primarum viarum colluvies acida, bilioſa, acris, convulſivos motus excitare pariter ac inſigniter fovere valet: qualem caſum notabilem de Catalepſi cum horrendis convulſionibus, cujus fomes in primis viis fuit recenſent *M. N. C. dec. III. anno III. obſ. 138.* Hinc etiam remedia acria, cauſtica atque venena rodendo membranas inteſtinorum convulſiones univerſales excitare valent. Has enim à vino lithargyrio dulcificato obortas referunt *M. N. C. Dec. III. anno IV. obſ XXX. pag. 81.* Et quem fugit, purgantia acriora idem ſæpius exci-

A Vermibus.

à purgantibus & acribus.

taſſe

taſſe malum? Conf. iterum *M. N. C. dec. II. anno VII. obſ. 162. & illuſtris Præſ. diſſ. de purgantibus fortioribus e medicina ejiciendis.* Hæc omnia eo certius fiunt faciliusque, ſi ſcorbutica concurrat diatheſis: *hinc de convulſionibus epilepticis violentis ex clyſtere acriori in doloribus ventris ſcorbuticis incaute adplicato excitatis notabilem recenſent obſervationem. M. N. C. obſ. 77. dec. II. anno 3.*

§. XXIII.

A læſione veſicæ & uteri. Quum porro veſica urinaria atque uterus ramos ſuos nerveos accipiunt ab interni ſexti paris rami infimis ramulis pariter ac quibusdam oſſis ſacri propaginibus: *vid.* VESLINGII *Anat. Cap. V. pag. 81.* facile judicari poteſt, cur harum etiam partium vellicationes, ſpasmi, atque graviores læſiones in convulſiones abeant. Quot innumera ſunt exempla convulſionum epilepticarum ex ſuppreſſione urinæ productarum? *teſte* ETTMULLERO *Coll. Pract. P. II. Tom. I. p. 658.* Ut omnia brevitati ſtudens ſilentio prætercam; haud rara ſunt exempla, quod *in parturientibus,* peculiares artuum convulſivæ motiones in parturientibus deprehendantur; quando nempe ſpasmi uterini ſuperiora petunt, & nervos medullæ ſpinalis invadunt. Unde manus atque collum ſæpius hinc inde ex uno latere in alterum agitantur, pectusque valide attollitur, contremiſcunt membra, totumque corpus: & niſi conquieſcant, ac ad fœtum expellendum rurſus deriventur, infanti non minus ac matri ſatis grave, ac ipſius vitæ minantur periculum. Quamvis enim notiſſimum ſit, nullum partum absque motibus ſpasmodico convulſivis obtineri: probe tamen tenendum eſt, eorum ſedem in utero potiſſimum, oſſe ſacro, muſculisque vicinis

cinis naturaliter reſidere debere. Quando vero à variis cauſſis ſimul ad ſuperiores corporis regiones propagantur; medullæque ſpinalis ſupremam occupant partem; varias horrendas triſtesque ludunt tragœdias.

§. XXIV.

Huc non minus faciunt aliarum partium nervoſarum, etiam externarum graviores læſiones. Cuinam incognita ſunt exempla, quod graviora vulnera, quæ nervoſas potiſſimum penetrarunt partes; nervorum in trunco pariter ac artubus vel venæſectione incauta vel aliis cauſſis inductas puncturas atque vellicationes &c. graviſſimi motus convulſivi excipiant. Talem caſum de convulſionibus ex nervo in manu puncto annotavit RHODIUS *obſerv. Cent. 1. obſ. 50. & 32.* ex punctura nervi per venæſectionem male peractam FORESTUS *obſ. L. X. obſ. CXVIII.* & *CXIX.* ex vulnere *obſ. CXX.* &c. quid? quod de hiſce motibus violentis ab unguibus incaute reſectis caſum adferat *Rhodius loc. cit.* Hinc quoque puncturæ, vulnera, atque læſiones quarundam capitis exteriorum partium ac muſculorum ſæpius in convulſivos motus abire deprehenduntur; quos a læſione muſculi temporalis excitatos vidit Excellentiſſ. Præſes. Neque hoc mirum! Namque ex anatomia cognitum habemus, nervi ſecundi verticalis ramos quosdam ſurſum reflexos per aurem externam, muſculosque faciei varios diſtribui, annotante VIEUSSENS *Neurograph. Tab. XXIV.*

A partium nervoſorum etiam externarum læſionibus.

§. XXV.

Eidem fundamento nituntur convulſiones ab ictu variorum inſectorum productæ. Harum admirandam ſpe-

A morſu inſectorum maxime ira percitorum.

ſpeciem *à morſu muſcæ majoris allegant A. N. C. dec. 1. anno IX. obſ. 65.* Has præprimis ſtupendas artuum, dorſique agitationes, incurvationes, jactationes cum turbata etiam phantaſia ſtipatas ab ictibus morſibusque ira percitorum inſectorum excitari, multæ à probatiſſimis medicis conſcriptæ atteſtantur hiſtoriæ: ex quibus etiam clariſſimum fit, valde exilem & admodum perniтioſam eſſe illam materiam, quæ tantos tumultus & irregulares motus in univerſo nervorum, nervoſarumque partium ſyſtemate ſuſcitare valet. Et denique haud rara docet experientia, inflammationibus gravioribus & viſcerum vitalium, & partium externarum graviſſimas ſæpius complicari convulſiones. Neque enim ſolum hiſce nonnunquam afficiuntur ipſi nervei ramuli intra partes diſtributi; verum etiam ex humore ſtagnante corruptoque acres ſimul ſubtilesque in maſſam ſanguineam abripiuntur vapores; & demum ad membranas medullæ ſpinalis delati has ad violentas proritant ſtricturas. Hinc ratio petenda, cur haud raro inflammationibus non quidem in principio, ſed ubi ad ſtatum & ἀκμὴν pervenerunt, convulſivæ demum ſuperveniant agitationes; quas præcedit ſæpius ſingultus.

Ab inflammationibus.

§. XXVI.

Prognoſis.

Hoc igitur dirum, atroxque malum, quanquam non adeo grave ſit, ut ſubito perimat occidatque homines: tamen difficilem minatur curationem, & accedentibus potiſſimum mala victus obſervatione aut perverſa medicatione haud raro vel in veram epilepſiam, vel melancholiam hypochondriacam tranſiiſſe obſervatum eſt: quid? quod ſanguine vel ſero ad principia

medul-

medullæ ſpinalis extravaſato ſæpius in ipſam deſinat apoplexiam. Quandocunque ſanguinis ſuppreſſæ excretiones naturales per uterum aut hæmorrhoides foverunt hunc affectum; hic illis iterum revocatis omnino mitigatur, ac prorſus depellitur: quod non minus à puſtulis vel maculis ulceroſis, ſcabioſis, ac purpuraceis ad cutis ſuperficiem propulſis deprehenſum fuit. Ubi recens eſt ipſum malum, & ætas junior ac reliqua corporis conſtitutio integrior acceſſerint: ſpes eſt facilioris ac brevioris ſanationis. Contra vero ſi humores vitales ſcorbutica dyſcraſia atque ſpiſſitudine imbuti ſunt: excretiones naturales ſuppreſſæ manent, temperamentum eſt ſenſibilius ac ad animi commotiones pronum; ipſum malum vel plane hæreditatis jure deportatum, vel frequentioribus acceſſionibus in pertinacem habitum, conſuetudinem, ac alteram fere naturam degeneratum, ætasque provectior: per arduum ac fere impoſſibile videtur, ægros ab illo vindicare penitus. Ratio in eo videtur eſſe poſita, quod vapores ſubtiles, ſulphurei, narcotici, qui cauſam mali conſtituunt, non ſolum humoribus immixti, verum etiam intra poros partium ſolidarum nervearum atque membranacearum altius ac intimius recepti ſint atque inſinuati. Quam vero difficile ſit, halituoſa illa recrementa temporis diuturnitate penitius in partes ſolidas impacta, ibidemque veluti jus hoſpitii adepta exturbare; vel communi experimento innoteſcit, ſi vaſa lignea, in quibus excrementa humana fuerunt diu aſſervata, exempli loco in medium proferamus: quibus iſti ſubtiles vapores adeo intruſi ſunt firmiter, ut fœ-

tidus odor vix ac ne vix quidem expelli queat. Reſtat vero adhuc alia cauſſa hanc curationem adeo intricatam reddens. Namque nervi, dum ſub violentis concuſſionibus admodum extenduntur, illi pariter ac fluidum eorum tenuiſſimum loco æthereæ, quam fovent ſubtiliſſimæ portionis, aëreo quoque vapore adimplentur, & hinc remota licet cauſſa materiali haud ita facile in naturalem ordinem atque tonum rediguntur. Exinde quoque his morbis obnoxiorum hominum inſigne robur ſub paroxyſmis deducendum eſt. Non tamen omnem abjicere ſpem oportet; ſed videndum, quid congrua medicatio, temporis mora ac patienti conſtantia adjuta præſtiterint.

CURATIO.

§. I.

Indicationes.

CONſiderata itaque huius morbi hiſtoria, natura, cauſis ac ſymptomatibus pergimus ad eius curationem; quæ tribus potiſſimum abſolvitur indicationibus, ut nimirum primum cauſſas materiales ad malum hoc diſponentes corrigamus; ad exitum præparemus, ac è corpore ejiciamus opportune; dein irregulares violentosque partium motus placemus atque conſopiamus; & denique nervoſum genus corroboremus. Probe igitur diſpiciendum eſt, quibusnam cauſſis debeatur horrenda hæc adflictio: quarum ſublatio morbi quoque erit curatio. Quodſi ergo in pubertatis vel adoleſcentiæ annis à nimia vel intempeſtiva venere, aut ira, aliisque animi commotionibus or-

Curatio mali ab animi affectibus & nimia venere orti.

tum

tum duxerit; cavendum eſt ab omnibus, quæ commotionem & orgaſmum in partibus fluidis concitant, vel ſolida impetuoſe movent, & ad graviores ſtricturas proritant, veluti ſunt acriora purgantia, emetica, calidiora omnia, ſpirituoſa, fortiores corporis ac animi motus &c. Contra vero maior ſpes in diæteticis emollientibus, demulcentibus, nutritivis collocanda eſt: quo fine curam lactis bubuli vel aſinini, vel etiam ſeri lactis; nec non balnea ex aqua dulci & affuſo lacte parata inſignem merentur commendationem. Non minus conferunt juſcula gelatinoſa, nutrientia, decocta ex radice Scorzoneræ, hordeo, raſura cornu cervi, eboris & viperarum carne parata pro potu ordinario uſurpanda; decoctum Choccoladæ tenuius, aliaque. Iungenda his inſuper motus ſpaſticos demulcentia remedia, anodyna, & ſpecifica; quorum inferius fiet mentio.

§. II.

A vermibus & primarum viarum vitiis inducti.

Quandocunque verminoſa colluvies anſam cauſamque præbuit convulſionibus; tunc ad hos expellendos atque enecandos intentio medendi ferri debet. Verum enim vero probe notandum, non omnia hic invenire locum anthelminthica ſpecifica, uti alliacea, vitriolacea, venerea, aloetica, acriora purgantia, & mercurialia incaute adhibita: utpote quæ vermibus equidem adverſa; partibus vero nervoſis affectis nimium ſunt inimica. Magis operæ erit pretium, externis remediis pugnare; quæ inter clyſteres ex lacte ac dulcibus, oleoſisque parati, & linimenta purgante prædita virtute, veluti unguentum de arthanita, ex-

terne umbilico atque abdomini adplicata palmam obtinent. Quæ interne exhiberi poſſunt anthelmintica, ſimul roborantem ac nervinam poſſidere debent efficaciam; uti ſemen ſantonici vel in pulverem vel eſſentiam minus ſpirituoſam redactum; vel mercurius dulcis, ſi cum duabus cinnabaris medicinalis partibus miſcetur, & cum Extracto Tanaceti, rhabarbari, centauriique minoris in formam pilularum redigitur. Aliis primarum viarum vitiis, ſordibus acidis, bilioſis, viſcidis opponenda ſunt incidentia, reſolventia, digeſtiva, abſorbentia, acrimoniam attemperantia ac leviter evacuantia, ut pilulæ blande balſamicæ & clyſteres. Si acriora purgantia, cauſtica, venenoſa remedia malum introduxerint: eorum aculei remediis pinguibus, oleoſis, mucilaginoſis atque lacticiniis ſunt infringendi.

§. III.

Ab excretionum ſanguinearum ſuppreſſione ſuſtentati.

Si menſium ſuppreſſio horrendum hocce malum ſuſtentaverit; probe cavendum, ne emmenagogis, aliisque calidioribus medicinis, & quæ vulgo adhiberi ſolent, eorum revocationem tentemus. Hoc in caſu præſtat balneorum naturalium & aquarum thermalium uſu; venæſectionum prudenti adminiſtratione, pediluviis ex aqua fluviatili, floribus chamæmeli, & tritici furfuribus confectis, tepidioribus, pilulis balſamicis, infuſis calidis ex meliſſa, betonica, ſummitatibus millefolii, floribus chamomillæ, ſalvia concinnatis, pulveribus temperantibus & antiſpaſmodicis ſanguinis æqualem circulum reſtituere ac promovere; tum motus irregulares partium ſolidarum antiſpaſmodicis ac ano-

anodynis, quæ inter omnibus palmam præripit liquor anodynus mineralis cum ſpiritu bezoardico mixtus, coërcere, ac his denique ſedatis debilitatum partium tonum corroborare. Quod ſi hæmorrhoidum ſuppreſſio vel imminutio malo dederit pabulum; præter commendata remedia & venæſectionum uſum hirudines ad anum adplicatæ egregium ſpondent emolumentum. Ubi jam lienis tumor ac vaſorum obſtructiones concurrunt, iis removendis non præſtantius inſerviet quicquam chalybe: unde laudem meretur hoc infuſum vinoſum: Recipe radicis Zedoariæ, cichorei ana unciam ſemis, ſummitatum centaurii minoris, florum hormini ana pugillos quatuor, corticum citri recentium unciam ſemis, coſti arabici, corticis ligni Saſſafras, cardamomi ana drachmas tres, limaturæ martis unciam ſemis, paſſularum minorum uncias duas, vini rhenani menſuram unam: mixta, lenique calore digeſta ad uſum reſerventur.

§. IV.

Quandocunque ex aſſumto impuro victu, ut frumento rore mellito imbuto, vel lolio temulento inductum eſt convulſivum malum: commendamus ante omnia lene emeticum mature & ſub acceſſionum intermiſſione datum, & quidem repetito prioribus diebus uſu. Hæc inter optimi & ſecuriſſimi uſus eſt radix hypecacuanhæ, de qua drachma dimidia, vel in robuſtioribus integra cum pauxillo nitri commixta pro doſi exhibeatur. Namque ea eſt emeticornm vis, ut fomitem in primis viis maxime collectum & adhuc hærentem & per vomitum & alvum educant: hinc ſpasmis *Ab externa cauſſa & victu impuro.*

caus-

cauſſam detrahant. Eo magis neceſſarium videtur, hæc offerre remedia, ſi malum recens ſit, & ægri de nauſea, cardialgia, præcordiorum anxietate, ructibus ac inflatione ventriculi conquerantur: de quo ulterius conferri meretur *Buddeus loc. cit. pag. 44. ſeqq.* Deinde operæ erit pretium, ea propinare remedia, quæ virtute diaphoretica & ſudorifera pollent: quorum præſtantiſſima ſunt acida ſic dicta alexipharmaca. Quemadmodum enim ſubtile acidum omni veneno narcotico adverſatur, ejusque virtuti & texturæ eſt contrarium: ita illud ipſum in hoc maxime affectu conſpicitur, cujus cauſſa in ſulphure narcotico, vaporoſo, graveolenti continetur. Notabilis hinc eſt obſervatio quam *Longolius in judicio medico de graſſante affectu ſpasmodico communicat;* dum refert, plures à ſolo acido vini in principio morbi ſumto ſanatos, & à graviſſimis ſymptomatibus liberatos eſſe. Namque vini acetum excitantem & diaphoreticam virtutem poſſidet, & commodiſſime cum lapidibus cancrorum & antimonio diaphoretico mixtum exhibetur. Fracta ſic per emetica & diaphoretica prioribus diebus exhibita, morbi vehementia; transeundum eſt ad fixiora bezoardica cum nitro & pauxillo camphoræ maritata. Non minus operam ſpondent decocta humectantia & infuſa calida; ac denique ſub finem antiſpasmodicis, nervinis, anodynis atque balſamicis cura erit abſolvenda. Neque enim hæc in præſenti morbo alia locum invenit, quam quæ omni morbo maligno, imo peſtilentiali, quæ externam cauſſam habet, opponi ſolet.

§.V.

§. V.

Quod ſi quidam ex prægreſſo perverſo vivendi genere diu male ſe habens ſucceſſive in hoc malum inciderit: indicium eſt, ſanguinis ac lymphæ inſignem eſſe dyscraſiam ſcorbuticam atque ſpiſſitudinem, qua in hiſce morbis inducendis, fovendis ac exaſperandis nihil eſt valentius. Tum vero in uſum vocanda ſunt ea remedia, quæ maſſam humorum corruptam emendant, ſpiſſam fluxiliorem reddunt, ac impuros ſuccos per congrua proſcribunt emunctoria. Hoc nomine præſtantiſſima ſunt antiſcorbutica, maxime decocta ex herbis antiſcorbuticis, cochlearia, beccabunga, naſturtio aquatico, ſedo minori, radicibus quoque & lignis ſale acri oleoſo prægnantibus parata; aut earum herbarum ſucci cum lacte caprino permixti. Laudem quoque merentur radices chinæ, ſarſaparillæ, lignum ſaſſafras & guajacum cum corticibus, radix lapathi acuti, pimpinellæ, valerianæ, vincetoxici, leviſtici &c. ſi cum ſufficienti aquæ quantitate decocta nitro permiſceantur, quod eorum acrimoniam quodammodo corrigit. Soli lumbrici terreſtres aut in pulvere aut ſucco dati, eximiam ac fere ſpecificam poſſident efficaciam, & convulſivas agitationes mirifice conſopiunt. Nec negligenda quoque leniora laxantia, pariter in humida forma exhibenda; neque, ſi humorum peccet abundantia, venæſectio aut ſcarificatio omittenda. *A dyſcraſia ſcorbutica.*

§. VI.

Haud vero ſilentio hoc loco prætermittendum eſt, incredibilem ac fere divinam in hiſce morbis convulſivis opem ferre aquam ſimplicem, naturali frigiditate largius hauſtam; cujus, quanta ſit in deſperatis *Aquarum & ſimplicis & mineralium uſus.*

E mor-

morbis efficacia, ex antiquorum medicorum monumentis partim, partim propria experientia *Excell. Præſes in diſſ. de aqua medicina univerſali, & tr. de uſu aquæ ſimplicis, quem pronuper D. D. Schwertnerus e gallica vernaculæ reddidit linguæ*, demonſtravit egregie. Hæc enim levitate atque fluiditate ſua minima corporis noſtri vaſcula penetrat, cruorem magis fluxilem reddit, partes roborat, humores atque vapores acres ſulphureos involvit, ac leviorem excitando ſudorem ſecum e corpore ducit. Eandem utilitatem pollicentur acidulæ atque minerales aquæ; quæ in convulſivo hoc ſcorbutico malo, ſi à ceteris, quæ nocent, æger ſibi temperet, aculeos dolorum mirifice obtundunt, infringuntque, noxiam materiam eliminant, ac obſtructa vaſcula reddunt pervia. Has inter præ ceteris commendationem merentur Selteranæ, Wildungenſes & Tinſtedianæ; maxime ſi poſt earum uſum balnea naturalia, & ex his Tœplicenſia ac Hirſchbergenſia adhibeantur. Neque porro minus crebris experimentis conſtat, multos hoc diro malo correptos potu lactis caprini vel aſinini liberalius hauſto feliciter evaſiſſe. Subjectis vero bilioſioribus magis convenire videtur ſerum lactis, maxime cum ſucco limonum permixtum; quod ductus bilioſos recludit, vitioſas ſordes obvolvit, ac humores reddit fluxiliores. Eadem quoque medendi ratio convenientiſſima eſt, ubi puſtulæ ſcabioſæ, ulceroſæ ac purpuraceæ repreſſæ malum fovent.

§. VII.

Convulſionum inveteratarum curatio. Habita ſic ad varias cauſſas ratione, his remotis, ipſi motus convulſivi adgrediendi ſunt. Ante omnia, ſi affectus ſit inveteratus ac in habitum degeneratus, monere

nere oportet ægrum, ut curationem ſumma patientia per diuturnum tempus protrahat: deinde ſciendum eſt, ipſam curationem magis diæteticis ac naturæ congruis remediis, quam potentioribus chymicis eſſe perficiendam: hiſce enim patientia ac temporis diuturnitate adjutis omne momentum abſolvitur. Hinc curationis auſpicium à ſanguinis detractione capiendum eſt, pertuſa in brachio vel pede vena; maxime ſi plethora aut ſpiſſitudo humorum fuerit præſto; pro cujus ratione hæcce venæſectio bis, ter, quaterve quotannis circa æquinoctia adminiſtranda, aut ſcarificatio interponenda erit. Deinde nihil eſt præſtantius aëris, cœlique mutatione; præſertim ſi is fuerit humidus ac vappidus. Cibi ſeligantur molliores, concoctu faciles; fugiantur acriores, acidi, flatulenti, dulcia quoque evitentur quoque potus calidiores, vinoſi, & omnis cereviſia: quorum loco in ordinarium potum eligenda ſunt decocta ac infuſa calidiora ex radice Scorzoneræ, raſura cornu cervi, ſummitatibus millefolii; aut ſerum lactis; aut acidulæ Selteranæ. Tum quotidie veſperi potiſſimum pedes profundius in pediluvia ex aqua fluviatili, furfuribus tritici, ac floribus chamæmeli parata immittantur: ut æqualis humorum circulus reſtituatur, & ſpasmodicæ conſopiantur ſtricturæ.

§. VIII.

Præterea ſingulo octiduo alvum dato medicamento exinanire oportet; idque non valido pharmaco facere convenit, ſed vel pilulis balſamicis, vel infuſis ac potiunculis mannatis, vel etiam manna loco ſachari ex infuſo calidiori ſumta; vel denique clyſteribus emollientibus, ſi ipſa præſto fuerit obſtructio. Eidem ſco- *Pharmaca opportuna.*

po pruna Damaſcena, poma Borsdorffienſia cum paſſulis minoribus cocta inter cibos inſervient. Præprimis præſtat, luna plena, aut ubi fœda variaque tempeſtas inciderit, alvum moliri. Acrimoniæ ventriculi temperandæ, ſimulque ſpasmodicis ſtricturis demulcendis conveniunt pulveres abſorbentes ex lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, ſuccino præparato, extracto caſtorei confecti. Veſperi aſſumi poteſt liquor anodynus mineralis Hoffmanni cum ſpiritu bezoardico Buſſii remixtus; quo in motuum irregularium ſedatione nihil eſt præſtantius. Eidem fini adprime quadrant pilulæ antiſpasmodicæ; quales hæ eſſe poterunt: Recipe extracti millefolii, florum chamomillæ, herbæ cardui benedicti ana drachmam, theriacæ, ſuccini, cinnabaris ana drachmam ſemis, croci grana XII, olei chamomillæ veri guttas VIII. M. f. pilulæ. Tum denique cura lactis aſinini cum acidulis Selteranis remixti; aut etiam ſeri lactis in uſum vocanda, & per aliquot hedomades, interpoſita quandoque manna cremori tartari nupta, protrahenda eſt.

§. IX.

Remedia externa. Non vero negligenda ſunt externa remedia, quæ inter unguenta atque linimenta nuchæ & ſpinæ dorſi inungenda non carent laude ac uſu. Horum præcipua ſunto ingredientia axungia humana, taxi, urſi, muris alpini, pinguedo caſtorei, viperarum; quibus admiſceantur olea deſtillata v. g. rutæ, lavendulæ, majoranæ, rorismarini, nuciſtæ, & ad meliorem penetrationem aliquot ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis guttulæ. Tum vero omnibus præferri merentur balnea aquæ dulcis circa tempus invaſionis uſurpata: à quorum uſu

lenis

lenis provocetur ſudor vel ipſa natura jam ſponte ad hunc inclinante, vel adjuta infuſo theiformi ex floribus tiliæ, quæ peculiaris ſunt virtutis, primulæ veris, hyperici, radice valerianæ parato: quibus ſæpius & optime horrendæ acceſſiones anticipantur.

§. X.

His per ſatis longum tempus rite adhibitis, & ſic remota omni craſſiori materiali cauſſa, ſi adhuc reſtiterint motus illi violenti, tunc cauſſa illa, quam præcedente §. XXVI. allegavimus, ſubeſſe credenda eſt. Huic demum obviam ire oportet remediis motus effrenes adſtringentibus, ſedantibus atque ſpecificis, quæ vapori narcotico ſulphureo nervis impacto ſunt inimica. Ad eorum cenſum præprimis pertinent antiſpaſmodica ac antepileptica ſic dicta ſpecifica, quæ ex regno animali petuntur. Horum enim fragrantia quædam, olfactu mox percipienda, revera halitibus iſtis graveolentibus, convulſionum nutricibus, adverſatur; eosque ſpecifica virtute infringit. Præ aliis famam in hoc paſſu habent lumbrici terreſtres, Majo capti, exſiccati, & in pulverem redacti, vel in ſucco, vel in infuſo aut decocto exhibiti. Non minus inſignem exſerunt utilitatem raſura dentis hippopotami, eboris, lapis manati, ungulæ alcis, cranium humanum, ſecundinæ ac ſanguis humanus exſiccatus, viſcera viperarum & ſerpentum, eorumque cor, fel & hepar, tali leporum ſiccati atque pulveriſati &c. *Conf. Excell. Præſ. diſſ. de ſpecificis antiſpasmodicis.* Inſtar omnium eſſe poteſt pulvis antepilepticus illuſtris Præſidis; qui innumeris experimentis in ipſa inveterata epilepſia virtutem ſuam commonſtravit. Neque vero minus quædam medicamina ex re- *Specifica.*

gno vegetabili ac minerali deſumta ſunt efficaciſſima; quæ inter carbones tiliæ pulveriſati, cinnabaris medicinalis, extractum croci, flores & radix pœoniæ, papaveris rhæados &c. commendari merentur: ſub quorum omnium uſu non negligenda ſunt remedia hucusque commendata alvum ducentia, aliaque.

CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.

§. I.

Quæ cautela ſit obſervanda circa mercurialia in convulſionibus à vermibus ortis.

UBicunque in convulſivis motibus à vermium colluvie productis mercurius dulcis exhibetur; probe obſervandum eſt, ut ante hujus, aliorumque anthelminticorum uſum demulcentia mucilaginoſa, ut oleum amygdalarum dulcium ad aliquot cochlearia, vel lac ipſum ſumatur, vel etiam ſuperbibatur: quo ſtricturæ inteſtinorum hiſce demulceantur.

§. II.

Cautela circa venæſectionem.

Quanquam ſæpius venæſectio locum habeat in hiſce adfectibus, maxime ſi plethora, aut humorum ſpiſſitudo, dyſcraſia, aut menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſio præſto fuerint, vel etiam caput ſimul adficiatur graviter: probe tamen cavendum eſt, ne ſimul & ſemel larga cruoris detrahatur copia; nec temere ac promiſcue adhibeatur. Quum enim à ſanguinis benigni magis defectu, quam ejus copia malum proficiſcatur: facile fit, ut ab immoderata ſanguinis extractione vires imminuantur, ſtomachus debilitetur, perſpiratio imminuatur, & præſertim in corporibus haud manifeſto plethoricis majus damnum excitetur quam emolumen-

mentum. Neque etiam in latere affecto eam inſtituere conveniet; nec in ipſis æquinoctiis, ſed 14 circiter ante illa diebus; quoniam hiſce temporibus mali acceſſiones plerumque ſunt graviores; in quibus nihil moliendum eſt.

§. III.

Rejicienda non minus ſunt omnia, quæ ſulphure quodam anodyno atque vaporoſo dolores atque ſpasmos ſopire ſolent, maxime cauſa materiali nondum evacuata. Talia ſunt caſtoreum, aſa fœtida, fumi accenſi plumarum, olea deſtillata v. g. ſuccini, opiata, vel etiam balſama ſuaveolentia. Hæc enim hujus ſunt indolis, ut volatilibus ſuis effluviis in nervos ac nervoſas partes penetrent, & non ſolum fluidum in illis contentum, ad ſenſum atque motum præſtandum ſumme neceſſarium, valde attenuent, verum etiam impacta illis peregrina atque ſulphurea recrementa commoveant. Maxime vero ab iis in morbi principio cavendum; aut ubi cruor ſpiſſus peccat ac impurus, aut ubi denique ægroti ex peculiari idioſyncraſia illa averſantur. *Circa remedia anodyna vaporoſa.*

§. IV.

Confortantia calidiora, ſtomachica, carminativa, ſpirituoſa, aquæ vitæ cane pejus & angue fugiantur, præſertim in morbi principio: quippe quæ humorum commotiones adaugendo, ſpasmos exaſperant. Fonticuli atque veſicatoria parum efficaciæ præſtant, maxime in gravioribus ſpasmis & doloribus, annotante jam dudum DRAWITZIO *tr. de ſcorbuto*: magis ſalubris eorum eſt uſus in affectibus paralyticis atque ſoporoſis. *Circa calidiora ac vehementia, ac fortiora evacuantia.*

§. V.

Purgantia fortiora in affectu ſcorbutico ſpasmodico veneni inſtar ſunt: alvum vero laxare utique convenit, quoniam ſine laxantibus & diaphoreticis malum radicatum exſtirpari non poteſt; nam hoc quo adſtrictior alvus, eo dete- *Circa purgantia.*

rius

rius deprehenditur atque atrocius. Commendanda hinc ſunt ex laxantibus rhabarbarina, mannata, radix polypodii, folia ſennæ ſine ſtipitibus, caſſia, ſyrupus florum perſicorum, violarum; infuſa cum nitro antimoniato, vel ſale Epſonienſi acuata.

§. VI.

Circa balnea.

Ad balneorum uſum non temere ſtatim transeundum eſt, ſed bene providendum, ne repleto ſordibus duodeno, vel ſanguine nimis copioſo impuroque exiſtente hocce curationis genus ineamus. Verendum enim eſt, ne ubi quid ejusmodi vitii in corpore hæreat, materiæ malignitas per totum corpus diffundatur, remedii virtute excitata.

§. VII.

Circa lactis curam.

Idem circa lactis curam præcipiendum eſt; ad quam non prius accedere oportet, quam ſi primæ viæ à ſordibus purgatæ, iisque ac viſceribus ſua conſtet integritas. Hujus curatio tutiſſime inſtituetur vere adulto vel præcipiti. Linimenta denique licet in demulcendis ac relaxandis ſpasmis eximiæ ſint efficaciæ; tamen conſultius remittente paroxysmo, quam ſub ejus vigore adminiſtrantur; maxime ſi corpus antea in balneum fuerit ingreſſum.

§. VIII.

Methodus præſervatoria.

Quoniam hocce malum facillime recrudeſcere ſolet; neceſſe eſt, ut ipſi congrua ordinetur præſervatio. Hujus maxima vis in recto diætæ genere ſita eſt. Ergo æger aëre puro, ſereno ac temperato utatur; vitetque omnem humidum, craſſum atque nebuloſum. Victus ſit facilis & parcus; Potui vero inſervient optime aqua frigida, aut medicata, aut infuſa calida. Animi hilaritas amplectenda maxime, & omni ſtudio allaborandum, ut dejectus erigatur, nullisque turbetur commotionibus atque mœroribus. Vitetur ſtrenue venus; ſaltem ſit parciſſima. Motus corporis exerceatur modice; & ſomnus ſuadeatur plenior ſub aëre ſubtiliori. Denique alvi lubricitas perpetua conſervetur; & ne cumuletur humorum abundantia, ſtatæ venæſectiones aut ſcarificationes in uſum vocandæ ſunt.

FINIS.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DN. CANDIDATO

PRÆSES.

ANtiqua quidem eſt conſuetudo, ut qui ab Academiis diſcedunt, vitæ ac ſtudiorum ſuorum teſtimonia requirant a Præceptoribus ſuis. Quæ vero ſicuti ad bonam apud alios conciliandam famam à plurimis expetuntur: ita potiſſimum iis proſunt, qui artis ſalutaris exercitio felici cum ſucceſſu operam navare geſtiunt; quippe qui hominum amore ac fiducia, quæ bona morum atque induſtriæ nota maxime conciliantur, nulla omnino ratione carere poſſe obſervantur. Quam igitur ob cauſam licet utilis admodum hic videatur ritus, eundem tamen magna cum circumſpectione & prudentia adminiſtrandum eſſe cenſeo. Profecto enim nulla in re facilius falluntur homines, niſi in cognoſcendis aliorum indole ac meritis; de quibus congruum ac verum ferri judicium vix poteſt, niſi intimiore ac longiore uſu manifeſta ſint facta. Ego itaque, ſi cui hoc officium, certe nulli id præſtare ſoleo lubentius, quam quorum ingenia ac vitæ rationem diligentiori & inſtitutione & converſatione penitius expiſcari licuit. Eandem itaque ob cauſam, Tibi Clariſſime Domine Candidate, commendatitias denegare

non potui litteras: cum Te per integrum biennium, & quod reſtat, non modo in privatiſſimo, quo potisſimas ac ſumme neceſſarias Medicinæ partes pertractavi, collegio, ſed & in omnibus privatis ac publicis meis phyſico-chymicis & practicis prælectionibus, diligentem atque attentum habuerim Auditorem; præterea vero frequentioribus Tecum inſtitutis colloquiis, non modo judicioſum rerum medicarum cenſorem, ſed & modeſto atque erecto animo, optimisque ornatum moribus Te deprehenderim. Quæ igitur cum ita ſint, fore ut felici artis exercitio, quod ſummum Numen benigniſſime ſecundare velit, æque ac optimis induſtriæ Tuæ præmiis conſtanter gaudeas, nullus dubito. Ego, quemadmodum & patriæ Tuæ & univerſo erudito Medicorum orbi multa ex Te bona auguror; ita & commoda Tua mea opera ſedulo promovere lubentiſſime annitar. Vale. Dab. Hal. d. IX. Octobr. MDCCXXXIII.

* * * * * * * * *

QVid valeat ſtudium, quid poſſit fervidus ardor,
Cauſas morborum nec non nouiſſe leuamen,
Humano generi variis languoribus ægri
Corporis afflicto dulcis conferre medelæ;
Herbarum ſuccus quid præſtet cuique ſalubris,
Egregio monſtras exemplo ſuavis Amice!
Ut præſens ſpecimen rara fert arte refertum.

Acci-

Accipis ergo TIBI, quæ ſacro jure mereris
Quæ ſunt digna viro rerum fandique perito,
Quæ Galenus iis dat, qui ſua caſtra ſequuntur,
Exantlatorum jucunda brabæa laborum.
Pieridum ſtudioſa cohors adplaudit, amœna
Carmina decantans, & ſuavia vota precatur.
Patria magna capit de TE Doctore futuro
Gaudia, multa ſibi promittens ſana caducæ
Commoda, præſenti vitæ cum fructibus orta.
Nec mea lingua minus mentis conferre ſonores
Votivos, obſtricta ſtudet: ſit Rector olympi
Quosque Tuos auſus, conatus quosque ſecundans,
Vt ſis ac maneas mihi felix fidus amicus.

gratulabundus ſcribebat

FRIDERICVS WILHELMVS DE MELLIN,
EQVES POMERANVS.

So recht! wem ſeine Stunden,
Wie Dir geehrter Freund!
Mit unermüdet ſeyn allhie verſchwunden,
Der kan mit gröſtem Ruhm Hygeens Sohn ſich nennen,
Und ihr mit voller Hand das beſte Räuchwerck brennen.
Du hält'ſt in Dir vereint

Nicht nur ein bloſſes Wiſſen:
Vielmehr iſt Dein gelehrter Geiſt befliſſen
Nunmehr dem Vaterland zu zeigen:
Wie Du vermögend biſt,
Dem Tod, der ſchon die Lippen küſt
Durch die erlangte Kunſt recht vorzubeugen.
Ich wünſche tauſend Glück zu Deinem Doctor-Hut!
Ich wünſche, daß darauf ſein ſteter Einfluß ruht!
Ich wünſche, daß er Dich, und die, ſo Kranckheit ſchrecket
Nach dieſem, trotz dem Neid! mit ſeinem Schatten decket!

Hiemit empfiehlet ſich dem Herrn *Doctori* zum geneigten Andencken

E. F. DE SCHAPER,
EQVES POMERANUS.

Vous avez emploïé des veilles & du tems,
Pour pouvoir acquerir cette belle ſcience,
Egalement utile aux petits comme aux grands,
Et qui peut nous guerir du mal qui nous offenſe.

Recevez aujourd'hui le digne premier fruit
Qu'on doit à Vos travaux, cette noble Ecarlate,
Signe du Doctorat, où le ſavoir conduit;
Celui que poſſédoit le ſavant Hypocrate.

Qu'il Vous ſoit donc permis d'exercer ce grand Art,
Qui ſur nos plus grands maux remporte la Victoire

Ou

On a beſoin de Vous, courrez de toute part,
Acquerez par votre art une moisſon de gloire.

J.C. SÖLLE, DE POMERANIE,
ETUDIANT EN DROITS.

Nel conſeguir

LA LAUREA DOTTORALE,
MERITAMENTE
dovutagli il molto,

ILLUSTRE

SGR: CANDIDATO,

Sonetto.

A *Chi s' offron allori? Apollo è queſti,*
Cui de ſacri virgulti il Crine è ſparſo:
Egli è di nuovo à ſaettar comparſo,
Gli altri pitoni à la ſalute infeſti.

I tuoi ſtrali, i ſuoi raggi opran, che reſti
Ogni aſpe più crudel ſuenato, ed arſo;
Onde fatto d' angoſcie il mondo ſcarſo,
Secoli d' oro à rigoder s' appreſti.

De tuoi chiari ſplendor, l'orma erudita
Baſta à fugar da la magion notturna
Schiera di mali, à noſtri danni unita.

Quindi vegg' io, che ne la deſtra eburna
Di già Pandora entro l' inſegna avita,
VVota d'ogni malor ci moſtra l' urna.

In atteſtato di Giubilo, e d'umilisſimo rispetto,

ERNESTO FEDERICO HAGEN,
J. U. C.

SUme nunc Laurum meritis paratam,
Sume nunc dignas ſtudiis coronas,
Læta queis natos decorare ſemper
ardet Hygæa.

I, Decus Magnum, rediture patri,
I ſecundo, nam tua fata poſcunt,
Omine, & noſtrum memori repone
pectore amorem.

Nobiliſſimo & Doctiſſimo Dn. Candidato pauca hæc gratulabundus appoſuit

P. LEMCKEN, MED. STVD.
DUDERSTAD.

SON-

SONNET.

ON ne peut trop loüer ceux, qui dans les ſciences,
Dès leur tendre jeuneſſe ont fait quelques progrès.
Pour le Grand Art, ſur tout, qui guerit nos ſoufrances,
On ne peut lui donner d'eloge avec excès.

Monſieur Booke convainc, que de ſes ordonnances,
A pluſieurs il fera ſentir les doux éfets.
Le voici ſur le point de prendre ſes Licences
Pour rendre ſon ſavoir & ſes ſoins moins ſuſpects.

Il eſt prêt de montrer à tout un Auditoire,
Ce qu'il a decouvert dans ſon Laboratoire;
Nous le voïons deja paroître ſur les rangs.

Petit-fils d'Apollon, digne fils d'Eſculape,
Venez nous faire voir que rien ne Vous échape,
Et que Vous meritez de monter ſur ſes Bancs.

S. DIENY.